



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 2. Paradisus mendax, Mundi imago.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

riguntur palatia, sed sæpe vno momento deiiciuntur. Surgunt in altū turres? tantò profundius cadunt. Florēt, gaudent, iubilant pagi, arces, vrbes? Sed ecce, vno terreatu hauriuntur, sepeliuntur, in cinerem rediguntur. Sic opes, sic honores, sic voluptates, sic ipsi homines euanesçūt. Ergo, *Psal. 43.* *fily hominum vsquequo grani corde? vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* Paradisum peccato primi parētis amifistis, in terris; pater mendacij vos decipit, si quis iam vobis, hīc Paradisum promittit.

§. I I.

Paradisus mendax, mundi imago.

Paul. Venet. lib. 1. cap. 28. Orient. hist. In Persidis regno, tyrannus quidam, Alaodinus dictus, vt memorat Paulus Venetus, Muletam regionem occupauit, multosque sicarios, quos Assassinos vocant, hoc astu sibi adiunxit. In valle quadam amoenissima, & præruptis cincta montibus, paradisum omni deliciarum genere, qualem suis Machometes promittebat, instruxit. In faucibus, per quas solus patebat aditus, arcem extruxit munitissimam, ne cui accedendi potestas esset, præterquam conscijs. Affirmabat interim, se clauem Machometici paradisi habere, & potione
sopo-

foporifera clam oblata, dormientes in eū locum deferēdos curabat. Experrecti cū omnibus delicijs affatim fruērentur, reuera, se in paradiso esse credebant. At præstigiator ille, capta opportunitate, medicato poculo sopitos rursus extra paradysum efferebat: eos ad omnia, quæ imperaret patranda, paratissimos postea habebat; quippe de paradiso, si Principi obedirent, securissimos. Hac arte non paucos Christianorum Principum insidijs circumuentos, oppressit. Tandem An. M. CC. LXII. Allaris rex Tartarorum senem hunc in paradiso, triennali obsidione, ad deditiōnem, fame compulit; locum aboleri, & assecclas omnes interimi iussit. Talem paradysum fingit, & proponit multis, in terra, Stygius Alastor. Sed reuera, *velut somnium auolans non inuenietur, transiet, sicut visio nocturna.* Et tamen hoc somno tam multos fallit; vt ad nutum habeat obedientes. Ita terram illis & terrena deprædicat, vt non tantū *adhereat pavimento anima eorum,* sed vt in ea se præcipites etiam perdere nō dubitent, more M. Curtij, cum equo in cauernam insipientis, ibi, vbi in ingentem finum, Romæ terræ labes confederat.

Iob. 20, 8.

Psal. 118.